Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-211313-p0001-5

1. Gratulation der Schüllerischen Familie, zu des Erbprinzens Friederich Albrecht zu Anhalt Berenburg Vermählung

2. Gratulation an den Fürsten Frantz Adolff zu Anhalt der studirenden Jugend in Halle, da dieselbe, nach geendigtem Kriege mit dem Regimente wieder daselbst eingerücket, 1763.

3. Klage bey dem Grabe des Preussischen Hofraths Joh. Friederichs Becker, von seinen Vettern, Berlin, 1762.

4. Beyleid, wegen des absterbens Joh. Biltzing Pastoris an der Moritz Kirche in Halle, des Lutherischen Gymnasy daselbst, 1762.

——— von dem Kirchen Collegio daselbst, 1762

5. ——— des Lutherischen Ministery daselbst, 1762.

6. ——— Joh. Andr. Stephan und Maria Sophia Stephanin gebohrne Grunerin, 1762.

7. ———

8. Herrliche Vollendung Sophien Elisabeth von Bismarc gebohrn: von Eimbeck, des preussischen Geheimbden raths H. Frantz Christoph von Bismarc gewesene Frau Gemahlin, Stendal 1762.

9. Freudens Bezeugung bey der Vermählung H. Christ: Fried: Carl Grafen zu Castel mit Cather: Hedwig Gräfin von Castell, von der Braut ältesten beyder Schwestern, 1761.

10. ——— von der jüngsten Gräfin Schwester 1761.

11. Gratulation zu der verwitbeten und gebohrnen Gräfin Louise Charl: zu Stolberg Geburthstag von Ihren Kindern. 1762.

OBITVM
VIRI REVERENDISSIMI
IOANNIS ADAMI STEINMETZ,

ABBATIS MONASTERII BERGENSIS, REGII CONSISTORII MAGDEBVRGENSIS CONSILIARII ECCLESIASTICI, PER DVCATVM MAGDEBVRGENSEM SVPERINTENDENTIS GENERALIS, ET COLLEGII INTIMIORIS STATVVM DVCATVS MAGDEBVRGENSIS ASSESSORIS,

LVGENT

PÆDAGOGII BERGENSIS COLLEGÆ.

MAGDEBVRGI,
EX OFFICINA IOANNIS CHRISTIANI PANSÆ.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-211313-p0003-6

Scilicet, vt noſtræ ſpes eſſet nulla ſalutis,
Defuit hoc vnum, funera flere Patris!
Heu mihi! nonne ſatis, tumeant vt fluctibus vndæ,
Et vaga iactetur quaſſa carina mari?
Qua patet, vt cœlum, pontus tellusque laboret,
Auferat vt nubes ſidera, noxque diem?
Debebatne graues ægre perpeſſa procellas,
Qui regeret ſollers, orba carere duce?
Nimirum tanta ne tempeſtate periret,
Vix ſatis Illius dextera dia fuit.
Ecce, Deus, corpus! quid enim? fateamur, amici!
Ecce ægrum corpus! vulnera cruda vide!
Vrimur hinc æſtu; lenta illinc tabe perimus;
Hinc, ſileo: morbos quid memorare iuuat!
Huic igitur, miſere dum quæuis membra laborant,
Non caput, afflictum quod moderetur, erit?
Omnia dira timent alii, clamantque gemuntque,
Si quando modicum peſue manusue dolet.
Cogitur extemplo Podalyrius atque Melampus,
Quique aliquod medica nomen ab arte gerunt.
Vt, dum naſcuntur, morbis medicina paretur,
Soluanturque noui ſtamina prima mali.
At Jeſu, numen quo non præſentius ægris,
Humanæ, Jeſu, publica cura luis!
Tu quid agis? fractos vno quid conficis ictu?
Quid? caput, infauſtum! dextera ſæua ferit?
Siccine contemnis? ſic nobis ludere viſum eſt?
Sic potis es noſtri non memor eſſe mali?
Nunc quis erit, noſtræ cui ſedula cura ſalutis,
Quique ferat vigilem more parentis opem?
Qui latus opponat fortunæ ſolus ad ictus,
Atque ſuis præſtet cetera tuta malis?

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-211313-p0004-2

Qui grauitate trahat, lenis ſoletur, amice
Corporis, vt conſtent, denique membra iuget?
Qui voce & factis, curſus moderator & auctor,
Vt Cynoſura, ſuo ſidere vela regat?
Denique diuinas qui mox prece molliat iras,
Mox cœlo Moſes deuocet alter opem?
Plura quid? occubuit STEINMETZ, tutela, leuamen,
Auctor, præſidium, cura decusque ſcholæ,
Scilicet iratus meritos ita plectis, Jeſu,
Inuitusque Patris funera mœſta paras!
Heu mihi! ne nobis quicquam ſolatia præſtet,
Eſt iſta: nos cladis cauſſa ſiniſtra ſumus!
Hæc animi labes, mens iſthæc ſquallida, teli,
Quo percuſſus obijt, fabrica turpis erat.
Hincce repentini vindex ea fulminis ira,
Hinc vis, principium, materiesque fuit.
Dum bene promeriti ducuntur funera patris,
Filius, accepto vulnere, triſte gemit.
Mox vbi, qui tergat lacrymas, accurrit amicus,
Alloquitur, mulcet, ſique opus, ipſe iuuat:
Demittit ſenſim tacitus de pectore curas,
Pro patre complures lætus habere patres.
At, ſi quando Illum ventura popoſcerit ætas,
Nunc intentati neſcia forte mali;
Eheu! quo vultu querulos, qua fronte feremus?
Dum doleant: nobis reddite, quæſo, Patrem!
Grande malum, fateor, quem fers, peperiſſe dolorem:
Sed damni cauſſam, grandius, eſſe aliis.
Quo feror? vsque adeo miſeris ignoſcere neſcit?
Siccine ſupplicibus durus Jeſus erit?
An genus humanum hac homo Numen lege teneret,
Vt ſummo in ſontes iure ſeuerus agat?
Sic nimis auſteram diſpenſat cognitor vrnam,
Nec ſuus inflecti ſe rigor ille ſinit?
Non ſinit affectus captiuaque pectora duci,
Nec ſubigunt animum lenia verba grauem?
Nilne iuuat, culpam faſſas huic tendere palmas,
Nil prece mulcetur, ſanguine nilne ſuo?
Diſpereant, hominum peſtes! qui talia fingunt,
Quæ pereat placitis digna cateruа ſuis!
Ah! tibi non tantus, mitiſſime, feruor in iras,
Qui conſeruato nomen ab hoſte geris!
Credite, non meritam mittit pro crimine mortem
Sæuus, ſuſpendit tot cui vota ſalus!
Dum ferit inuitus, ligat idem vulnera ſollers,
Quaque manu gladios, hac quoque tendit opem.
Dum tonat, alarum ſtudioſus tegmina pandit,
Vt redeat pullus, nube monente, fugax.
En tibi perculſos, Jeſu! tua numina lapſis
Qui miſeri rebus ſupplice voce vocant!
Cui bene commiſſus, quantus ſit, creditur orbis,
Res erit vna tibi tradita noſtra male?
Humanæ dudum qui publica cura ſalutis,
Nonne is priuatæ certa columna ſatis?

Eſt. Bene ſperemus! primo turgentibus vndis
  Ancora, poſt portus, perfugiumque rati.
Is tenet, hæc cuius capiat moderamina dextra,
  Moxque ſuus naui, credite, rector erit.
Ergo inuiſa Ejus cum morte peribit imago,
  Nec vultus animo, fixa nec ora manent?
Qui defuncta ſinu tumulus tegit oſſa Parentis,
  Deſpectine idem nomina magna teget?
Quæ fuit ætati vitæ lux ſumma ſenili,
  Isne dies noſtri ſummus amoris erit?
Sic doleant domini ſeruilia pectora funus:
  Verus & elato funere feruet amor.
Scilicet ante ſuus rerum mutabitur ordo,
  Omniaque in præceps lege ſoluta ruent:
Ante loco, inuerſo curſu, tellure remota
  Ore picem referet sauromata; Afer ebur.
Ante dabit canus flauentia meſſibus arua
  Scorpius; adſtricto sirius vſta gelu:
Corpore iuſſa ſuis mens ſedibus ante recedet,
  Quam, Pater, hacce Tui mente recedet amor.
Denique, iuſte Deus, fuero ſi non memor vnquam
  Illius, ingrati non memor eſto mei!
Non opus hic verbis: factis laudemus, amici;
  Qui ſequitur, vere, quem probat, ille colit.
Qui fuerit, ſcimus, quæ ſenſerit, vnde ſalutis
  Spes Illi; En noſtræ quod pietatis opus.
Sic demum ſoboles erimus germana Parentis,
  Tempora & exſtinctus multa ſuperſtes aget.
Sic ſua pro nobis ſolemnia vota valebunt,
  Quasque tulit, flexo poplite ſæpe, preces.
Denique ſic proles etiam agnoſcemur ab Illo,
  Cum ſuprema dies nos ſociabit Ei!
Exoptata dies propera! lux ocyor inſta!
  Ah toties votis hora vocata veni!

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-211313-p0006-3

-9. Okt. 1983
19. März 1986
22. Mai 1995

78 M 349

verschiedene Handschr. enthalten

ULB Halle 3
001 515 608

56 außer den Handschriften

KD 17

23

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-211313-p0007-8

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-211313-p0008-4

OBITVM
VIRI REVERENDISSIMI
IOANNIS ADAMI
STEINMETZ,

ABBATIS MONASTERII BERGENSIS, REGII CONSISTORII MAGDEBVRGENSIS CONSILIARII ECCLESIASTICI, PER DVCATVM MAGDEBVRGENSEM SVPERINTENDENTIS GENERALIS, ET COLLEGII INTIMIORIS STATVVM DVCATVS MAGDEBVRGENSIS ASSESSORIS,

LVGENT

PÆDAGOGII BERGENSIS COLLEGÆ.

MAGDEBVRGI,
EX OFFICINA IOANNIS CHRISTIANI PANSÆ.

AK

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-211313-p0009-3